



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

45. Kolbertvs Sacerdos cum socio orans & huius pronunciationem non percipiens, præcepto Ecclesiæ non satisfacit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

quia leges Pontificiæ, imò etiam ciuiles non pendent ab acceptatione, vt verior & comūnior habet sententia Theologorum apud Suarez de leg. l. 3. c. 19. n. 4. Vasq. 1. 2. Diss. 156. c. 5. Layman L. 1. Tr. 4. c. 3. n. 1. & alios. Tum quia in terris hæreticorum consuetudo totius populi comedendi carnes diebus vetitis, & violandi ieiunia etiã per mille annos continuata abrogare nequit præcepta Ecclesiæ, vt optimè Rebell. de obligat. iustit. P. 1. l. 1. q. 5. n. 14. cum prorsus irrationabilis sit, eiq̃ue continuò reclametur.

Ad primum in contrarium dicimus, cum hæretici bonâ fide & legitimo titulo alijsq̃; conditionibus ad præscribendum requisiti destituantur, nunquam eorum procedere præscriptionem contra aliqua præcepta Ecclesiæ. Ad secundum, hoc admitti solùm posse in legibus ciuilibus, si Princeps sciat & taceat, tunc enim reuocare censetur leges illas: minimè verò in Ecclesiasticis præceptis, ijs præsertim, quæ non in dies emanant à Pontificibus, sed iam olim ab ipsa Ecclesia promulgata, & à toto populo Christiano vsu sunt recepta, postea verò ab hæreticis eius hostibus in odium eiusdem absque vlla iusta causa pertinaciter non obseruata & contempta fuerunt. Atque sic etiam patet ad tertium.

XLV. *Kolbertus Parochus Officium diuinum legere solet cum Cooperatore suo, sed ob grauem suum*

suum auditum & submissiorem Socij pronuntiationem nihil ferè percipit de verbis Socij, idque anxius exponit suo Confessario. Queritur. Vtrum Kolbertus nihil ferè de Socij pronuntiatione percipiens satisfaciat præcepto, & absque sollicitudine pergere ita cum Socio possit?

Videtur satisfacere, & pergere posse. Ita Caramuel in Theolog. fundamentali fundam. 35. n. 1097. Mouetur. Tum quia Sacerdos, cum solus orat, non tenetur se ipsum audire, vt plerique docent. Tum quia orans nec seipsum nec Socium tenetur audire cum interna attentione. Ergo omnino nec auscultare hunc Socium tenetur.

Resp. Kolbertum non satisfacere præcepto, nec pergere posse cum Socio, si nihil ferè de pronuntiatione huius intelligat. Ita ex communi Theolog. Baldellus Tom. 2. Theolog. Moral. lib. 3. D. 33. n. 15 & 16. Ratio est, quia Kolbertus sic nec ratione sui, nec ratione Socij totum breuiarium recitat; non ratione sui, vt patet, cum medium duntaxat pronuntiet: non etiam ratione Socij, quia auditus succedit pronuntiationi, nec initur Societas cum altero nisi quoad prolationem vocis perceptibilem. Ergo si pronuntiatio Socij non percipitur, non iuuat Societas. Ergo orans pronuntiatione Socij non perceptâ nec ratione sui, nec ratione Socij totum breuiarium persoluit, & consequenter non satisfacit præcepto integras horas requirenti.